



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Libri II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)



B. A N S E L M I

Archiepiscopi Cantuariensis

MEDITATIONVM  
L I B E R.

C A P V T I.

*Quanam à Deo oranda.*

**D**omine Deus meus, da cordi meo te desiderare, desiderando querere, querendo invenire, inveniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare. Da, Domine Deus,

cordi meo poenitentiae compunctionem, spiritui contritionem, oculis lachrymarum fontem, manibus eleemosynae largitatem. Rex meus, extingue in me desideria carnis, & accende vim tui amoris. Redemptor meus, expelle à me spiritum superbiae, & concede mihi propitius thesaurum humilitatis tuae. Salvator meus, amove à me furorem irae; & indulge mihi sensum patientiae. Creator meus, evelle à me animi rancorem, & largire mihi mentis dulcedinem. Da Pater clementissime, solidam mihi fidem, spem congruam, charitatem perfectam.

2. Rector meus, averte à me animi vanitatem, mentis inconstantiam, cordis vagationem, oris scurrilitatem, oculorum elationem, ventris ingluviem, opprobria proximorum, scelera

per in-  
um to-  
m pos-  
, Do-  
otum.  
e: fac  
eum:  
quod  
ubicu-  
ui me  
re, da  
. Cui  
qua-  
clau-  
tuum  
, à te  
e im-  
e Do-  
i lan-  
tua,  
e cam  
ideat  
iritu  
facu-

A N-



scelera detractionum, curiositatis pruriginem, divitiarum cupiditatem, potentatum rapinam, inanis gloriae appetitum, hypocrisis malum, adulationis venenum: contemptum inopum, oppressionem debilium, avaritiae ardorem, invidiae rubiginem, blasphemiae morem. Reseca in me temeritatem, meorum factorum iniquam pertinaciam: inquietudinem, ociositatem, somnolentiam, pigritiam, mentis hebetudinem, cordis caecitatem, sensus obstinationem, morum truculentiam, boni inobedientiam, consilii repugnationem, linguae effrenationem; pauperum praedam, impotentium violentiam, innocentium calumniam, subditorum negligentiam, circa subditos severitatem, adversus domesticos impietatem, erga proximos duritiam.

3. Deus meus, misericordia mea, ore te per dilectum filium tuum, da mihi opera misericordiae, pietatis studia: compati afflictis, subvenire egenis, succurrere miseris: consulere erroneis, consolari moestos, relevare oppressos, pauperes recreare, flebiles refovere, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, neminem despiciere, sed honorare: bonos imitari, malos cavere, virtutes amplecti, vitia rejicere: in adversis patientiam, in prosperis continentiam, custodiam oris, & ostium circumstantiae labiis meis; terrena calcare, caelestia sitire.



## CAPVT II.

*Dei misericordia & bonitatis ad nostram indignitatem applicatio.*

I. **E**cce plasmator meus, multa rogavi, cum nec pauca promerui. Fateor, heu fateor, non solum quæ postulo non debentur bona, sed multa mihi debentur & exquisita supplicia. Animant me publicani, meretrices, & latrones, qui à faucibus hostis momentanee eruti, sinu recipiuntur pastoris. Tu enim omnium factor, Deus, licet in cunctis tuis sis mirabilis operibus, mirabilior tamen in visceribus crederis pietatis. Vnde tumet per quendam tuum dixisti: Miserationes ejus super omnia opera ejus. Et quasi de singulo loquens, de universo populo tuo dixisti confidenter: Misericordiam meam non dispergam ab eo. Nullum enim spernis, nullum abjicis, nullum perhorrescis, nisi qui te forte amens exhoruerit. Ergo non modo non iratus percutis; sed te irritantibus, dona, si quæsierint, tribuis, Deus meus, cornu salutis meæ, & susceptor meus.

2. Ego infelix te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui: peccavi, & passus es: deliqui, & adhuc sustines. Si pœnitet, parcis, si revertor, suscipis; insuper dum differo, præstolaris. Revocas errantem, invitas repugnantem, excitas torpentem, amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mœrentem mulces, à ruina suscitans, post lapsum  
 R reparas,



reparas, petenti largiris, quærenti inveniris, pulsanti aperis. Ecce Domine Deus salutis meæ; quid opponam, nescio, quid respondeam, ignoro: nullum confugium, nullum à te patet latibulum. Ostendisti bene vivendi viam, dedisti gradiendi scientiam, minatus es mihi gehennam, & pollicitus es paradisi gloriam. Nunc Pater misericordiarum & totius consolationis, confige timore tuo carnes meas, quatenus quæ minaris, metuendo evadam: & redde mihi propitius lætitiæ salutaris tui, ut quæ spondes, diligendo participem. Fortitudo mea Domine, firmamentum meum Deus, & refugium meum, & liberator meus: suggere, quid de te cogitem: doce quibus sermonibus invocem, & quibus operibus te placeam.

3. Scio namque, scio unum quo placaris, & aliud quod non spernis. Est utique spiritus contribulatus tibi sacrificium, & acceptator contritum & humiliatum. His me, Deus meus, adjutor meus, dita muneribus. His contra inimicum muni protectionibus; hoc de flammis vitiorum præsta refugium: hoc à desideriorum passionibus pande pius refugium. Fac Domine virtus salutis meæ, ne sim in eorum ordine, qui credunt prospero tempore, & recedunt tentationis tempore. Obumbra caput meum in die belli: esto spes mea in die afflictionis meæ, & salus in tempore tribulationis meæ.

CAPVT



## C A P V T III.

*Indignitatis nostræ exaggeratio.*

I. **E**Cce Deus illuminatio mea, & salus mea: rogavi quibus egeo: intimavi quæ timeo: sed remordet me conscientia, reprehendunt me cordis secreta: & quod amor ministrat, timor dissipat: zelus incitat, metus increpat actæ vitæ formidinem; sed tua ingerit pietas fiduciam. Tua hortatur benignitas, mea dehortatur malignitas; & ut verius fatear, occurrunt memoriæ phantasmata peccatorum, quæ reverberant aciem vel audaciam præsumentium animorum. Cum enim odio quis dignus sit, qua fronte gratiam requirit? Cum pœna debetur, qua temeritate gloria poscitur? Lacescit judicem, qui postposita satisfactione delicti, præmiis quærit honorari. Regi insultat obnoxius supplicio, qui flagitat donari indebito præmio. Et dilecti patris affectum stultus exacerbatur filius: qui post illatas contumelias, ante poenitudinem hæreditatis usurpat celsitudinem. Quod, mi pater, me egisse recolo: merui mortem, & vitam peto: commovi regem meum, cujus impudens nunc invoco auxilium: contempsi iudicium iudicis, quem temere postulo adiutorem: insolens renui audire patrem, quem demum præsumo habere tutorem.

2. Heu mihi, quam sero venio. Heu, heu, quam tarde festino. Heu, quia curro post vulnera, dedignatus incolumis præcavere jacula. Neglexi prospicere tela, modo sol-



licitor de morte vicina. Vulnere vulneribus infixi, quia scelera sceleribus addere non timui. Recenti tabe cicatrices resperfi, quia prisca flagitia modernis inquinacionibus reciprocavi: & quæ divina solidaverat gratia vel medicina, mea dissolvit prurigo phrenetica. Cutis, quæ superducta vulneribus morbum celaverat, sanie erumpente putruit: quia iterata iniquitas concessam misericordiam exinanivit. Novi quippe scriptum: In quacunque die justus peccaverit, omnes justitiæ ejus in oblivione erunt. Si justitia aboletur justis ruentis, quanto magis peccatoris, in idipsum ruentis? Quoties ut canis redii ad vomitum, & ut sus perii volutabrum? Fateri mihi itaque & recordari impossibile est, quot mortalium homines peccare ignorantes docui, nolentibus delinquere persuasi, resistentes coëgi, volentibus consensi, quot sane gradientes in laqueum duxi, viam quærentibus foveam retexi, mala patrare non horruï, donorum Dei oblivisci non metui.

3. Sed tu juste judex, signasti quasi in sacculo pecuniam peccata mea, & observasti omnes semitas meas, & cunctos gressus meos dinumerasti. Tacuisti semper, siluisti, patiens fuisti. Væ mihi, demum loqueris, quasi parturiens. Deus deorum, Domine præstabilis super nequitiam, novi quia manifestus venies, novi quia non semper silebis: cum in conspectu tuo ignis exardescet, & in circuitu tuo tempestas ingruerit valida: cum advocaveris calum desursum, & terram discernere



cernere populum tuum. Ecce tot millibus  
 populorum nudabuntur omnes iniquitates  
 meæ. Tot agminibus patebunt scelera mea,  
 non solum actuum, sed etiam cogitationum,  
 simulque locutionum. Tot iudicibus inops  
 astabo, quotquot me præcesserunt in bono  
 opere. Tot arguentibus confundar, quotquot  
 mihi præbuerunt sancta vivendi exempla.  
 Tot vincar testibus, quot me monuerunt pro-  
 ficuis sermonibus, seseque imitandos justis  
 mihi dederunt sermonibus.

## C A P V T I V.

*Quum in nostra indignitate nihil aliud quam de-  
 speratio inveniatur: Dei sic summa boni-  
 tas atque dulcedo predicatur.*

I. **D**omine mi Deus, non suppetit quod  
 dicam: non occurrit quod respon-  
 deam: Et ecce jam illi intersum discrimini;  
 urget me conscientia; cruciant cordis arcana;  
 coarctat avaritia, accusat superbia, consumit  
 invidia, inflammat concupiscentia, incesat  
 luxuria, dehonestat gula, confutat ebrietas,  
 detractio lacerat, ambitio supplantat, rapaci-  
 tas objurgat, discordia dissipat, ira perturbat,  
 levitas dejicit, torpor opprimit, hypocrisis  
 fallit, adulatio frangit, favor extollit, calum-  
 nia pungit. Ecce liberator meus de gentibus  
 iracundis. Ecce cum quibus vixi à die nativi-  
 tatis meæ, quibus studui, quibus fidem serva-  
 vi, ipsa me studia quæ dilexeram damnant,  
 quæ laudaveram, vituperant. Hi sunt qui-  
 bus acquievi amici, quibus parui magistri,  
 quibus servivi domini, consules quibus cre-  
 didi,



dididi, cives quibus cohabitavi; domestici quibus consenui.

2. Heu mihi, Rex meus, & Deus meus, quia incolatus meus prolongatus est. Væ mihi, illuminatio mea, quia habitavi cum habitantibus Cedar. Et cum sanctus dixerit, Multum, quanto magis ego infoelix dicere possum, Nimis incola fuit anima mea! Firmamentum meum, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Spes mea, non est in filiis hominum, quem si remota pietate judicaveris, justum vix invenias: & nisi praveneris miserando impium, non erit quem glorifices pium. Credo namque, salus mea, quod audivi, quomodo benignitas tua ad pœnitentiam me adducit. Turris fortitudinis, sonuerunt nectarea mihi labia tua: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Enimvero quia instruxisti me, tantaque propitius institutione formasti, totis medullis cordis, toto annisu mentis, te omnipotens pater cum dulcissimo puero, teque dulcissima proles cum serenissimo invoco paraclito. Trahe me, quatenus post te currere in odorem unguentorum tuorum delecter.

3. Quam magna, Domine Deus meus, multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te! Abscondisti quia conservasti, non quia abscondisti. Abstulisti, cum eam magis multiplicasti. Solet aliquando, quod absconditur, diligentius investigari, & inventum arctius amari. Dilata in te non minuuntur, sed magis crescunt desideria.



deria. Non est ergo tuus amor transitorius, sed æternus. Qui te diligunt, non tepescunt, sed fervere. Non est tuus amor ociosus: memoria tua super mel dulcis: meditatio de te, plusquam cibus suavis. De te loqui, plena est refectio: te nosse, perfecta consolatio: tibi adhærere, vita æterna: à te separari, mors perpetua. Fons vivus his, qui te sitiunt; esca indeficiens, qui te esuriunt. Gloria te quærentibus, gaudium invenientibus. Odor tuus suscitatur mortuos, respectus curat ægros; lux tua omnem fugat caliginem, visitatio tua cunctam repellit tristitiam. Nullus apud te mœror, procul à te omnis dolor; nulla tecum mœstitia, nulla indigentia: nulla, ubi es, necessitas: nullius boni est difficultas: nunquam ibi tenebræ, nec terror nominatur gehennæ: nullius noctis tetra cæcitas, nec tumultus improbitas. Nunquam famis sitisque inopia, frigoris nec æstus circa te moratur penuria; non invalidudo corporis prorsus, nec corruptio mentis; non zelus, neque contentio, nec omnino ambitio. Illinc abest sollicitudo finis & cura mortis, labor senectutis, languor ægritudinis: ibi nescitur passio aëris, & varietas temporis. Hæc est enim magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, sed perfecisti sperantibus in te.



## CAPVT V.

*Quomodo nos Deus ad perseveranter quærendum  
occultorum suorum iudiciorum  
dulcedinem incitet.*

1. **O** Quam bona absconditio, qua efficitur  
perfectio. Non enim hæc absconditio  
æstimatur perditio, sed magis conservatio,  
qua fit perfectio. O gloriose Rex, quam vera  
sunt tua iudicia, justificata in semetipsa;  
vere desiderabilia super aurum & lapidem  
preciosum multum, utique & dulciora super  
mel & favum. O vita mea, Deus meus,  
rogo te per nomen Redemptoris mei, di-  
lecti filii tui, largire propitius, ut custodiam  
ea. Cognovi namque, quia in custodien-  
dis illis retributio multa. Gloria mea Deus,  
abscondis thesaurum tuum, ut incites cupi-  
dum; recondis margaritam, ut augeas  
quærentibus amorem; differs dare, ut do-  
ceas petere; dissimulas audire petentem, ut  
facias perseverantem. Postremo incipienti-  
bus quærare promittis, ut non nisi vere per-  
severantibus salutem tribuas; quod plane  
indicat illa flebilis, quæ tuum in sepulchro  
natum Christum, inter mortuos quærebat  
vivum, durantibus adhuc tenebris; quam  
accenderas ut quæreret, te quærenti dispare-  
bas ut perseveraret: perseveravit sperans, &  
speravit perseverans; & quia in spe perseve-  
ravit, videre te meruit: beata visio, & plena  
exultatio!

2. O summum gaudium, & consumma-  
tum desiderium, desiderabilis vultus, jucun-  
dus



ndura  
icitur  
onsio  
atio,  
vera  
cipia;  
idem  
super  
neus,  
, di  
diam  
dien-  
eus,  
cupi-  
igeas  
t do-  
n, ut  
enti-  
e per  
plane  
chro  
rebat  
quam  
pare-  
s, &  
seve-  
plena  
ma-  
acun-  
dus

duſ aspectus. O spes & foelix perseveranti<sup>a</sup>  
nisi enim speraret, non perseveraret; & nisi  
perseveraret, spei fructum non perciperet.  
Sic enim Deus meus, misericordia mea, ab-  
fconderis timentibus te, ut inveniariſ speran-  
tibus in te: sic elongariſ quarentibus, ut ap-  
propinques perseverantibus. Qui elongant  
ſe à te, peribunt: qui autem expectant te,  
non confundentur. Qui timent te, sperent  
in te; quoniam protector & adjutor eorum  
es. Per timorem venit ad amorem. Ti-  
mendus es, ut Dominus; amandus, ut pater.  
Timor tuus sanctus permanet; quia sanctos  
permanere facit, quos possidet. Nihil deest  
timentibus te; quia oculi tui super eos, &  
aures tuæ in preces eorum. Misericordia  
mea & refugium meum, susceptor meus,  
& liberator meus: sic timorem adhibe mihi,  
ut amorem subinferas: sic irroga metum, ut  
tui augeas desiderium: sicque me partici-  
pem timentium te, ut & custodientium  
mandata tua, facias, ut per timoris servitu-  
tem ad amoris pertingere merear gratiam.

3. Invoco te Deus meus, invoco te; quia  
prope es omnibus invocantibus te, sed invo-  
cantibus in veritate, tu enim veritas es. Da  
mihi, quaſo, clementiam tuam, sancta ve-  
ritas, invocare; quia quomodo hoc fieri  
oporteat, nescio: sed doceri à te beata ve-  
ritas, humiliter imploro. Abs te sapere, desi-  
pere est; te vero nosse, perfectum est scire.  
Erudi me, ô divina sapientia, & doce me  
legem tuam. Credo sane, quia quem tu eru-  
dieris beatus est, & de lege tua docueris eum.

R 5

Desi-



Desidero invocare te, quod quaeso ut sit in veritate. Quid est invocare in veritate veritatem, nisi in Filio Patrem? Ergo sancte Pater, sermo tuus veritas est; principium verborum tuorum veritas. Hoc quippe est verborum tuorum principium, quod in principio erat Verbum. In ipso principio te summum adoro principium. In ipso veritatis Verbo, te perfecta invoco veritas: quod in ipsa tandem dirigas me, & doceas in veritate. Quid enim dulcius, quam genitorem in nomine unigeniti exorare? Patrem recordatione filii ad pietatem flectere? Regem charissimæ prolis denotatione mitigare? Sic rei solent carceribus eripi; sic mancipati vinculis liberari; sic tristem capitis excipientes sententiam, non solum vitam sed insuper nancisci insolitam gratiam, dummodo iratis patribus dilectæ prolis intimaverint charitatem. Sic delinquentes servuli evadunt supplicia dominorum, dum pro eis intervenit dulcedo filiorum. Sic te Pater omnipotens per omnipotentis filii tui postulo charitatem: educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo: libera me à vinculis peccatorum, per coæternum tibi unicum natum: meque, cui propria merita lethalem minantur sententiam, preciosa ad dexteram tuam confidentis prolis interpellatione restaura placatus ad vitam.



## C A P V T VI.

*De vero intercessore, atque instituti hujus  
dispositore.*

1. **Q**uem alium enim dirigam intercesso-  
rem pro me tibi, nescio: nisi hunc,  
qui est pro peccatis nostris propitiatio: qui  
sedet ad dexteram tuam, qui etiam in com-  
muni sibi gloria pietatem tuam interpellat  
pro nobis. Ecce advocatus meus apud te  
Deum & Patrem. Ecce Pontifex summus  
qui non eget alieno expiari sanguine, quia  
proprio fulget perfusus cruore. Ecce hostia  
sancta, beneplacens & perfecta, in odorem  
suavitatis & oblata & accepta. Ecce agnus si-  
ne macula, qui coram se tondentibus obmu-  
tuit; qui plagis cæsus, sputis illitus, probris  
affectus, os suum non aperuit. En qui pec-  
catum non fecit, peccata nostra pertulit, &  
languores nostros suo livore sanavit. Aspice,  
pie Pater, piissimum filium tuum, pro me  
tam impio passum. Respice, Pater clemen-  
tissime, eum qui patitur: & reminiscere be-  
nignus, pro quo patitur.

2. Nonne hic est ille innocens, mi Domi-  
ne, quem ut servum redimeres, filium tra-  
didisti? Nunquid non auctor vitæ hic est,  
qui ut ovis ad occisionem ductus, tibi que  
obediens usque ad mortem factus, atrocis  
non timuit necis subire genus? Recole, to-  
tius salutis dispositore, quia hic ipse est, quem  
etsi ex tua virtute genuisti, meæ tamen in-  
firmitatis participem fieri voluisti. Vere hæc  
est tua Deitas, quæ meam induta naturam,  
crucis



crucis ascendit patibulum, assumptaque carne, triste tulit supplicium. Reduc, Deus meus, oculos majestatis super opus ineffabilis pietatis; intuere dilectum natum, toto corpore extensum; cerne manus innocuas, promanantes sanguine: & remitte placatus scelera, quæ patrauerunt manus meæ. Considera inerme latus, crudeli fossum cuspide, & renova me sacrosancto fonte illo, quem inde fluxisse credo. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulaverunt in lege tua, diris confixa clavis, & perforce gressus meos in semitis tuis. Fac me odio habere omnem viam iniquitatis: viam iniquitatis amove à me, facque me propitius viam veritatis eligere.

3. Oro te Rex sæculorum per hunc Redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum; ut ei valeam spiritu uniri, qui non horruit mea carne vestiri. Nunquid non attendis, pie Pater, adolescentis filii charissimum caput, nivea cervice deflexa pretiosa resolutum in morte? Aspice, mitissime conditor, dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia; pendent crura marmorea, rigat trebratos pedes sancti sanguinis unda. Specta, gloriose genitor, gratissimæ prolis lacerata membra; & memorare benignus, quæ mea substantia. Conspice Dei hominis poenam,  
& re-



& releva conditi hominis miseriam. Vide redemptoris supplicium, & remitte redempti delictum. Hic est, Domine mi, quem propter peccata populi tui percussisti, licet ipse sit dilectus, in quo tibi bene complacuisse. Hic est ille innocens, in quo dolus inventus non est, & tamen cum iniquis deputatus est.

## C A P V T VII.

*Redemptoris innocentis, & perditinocentis, inter se comparatio; ac hujus renovatio.*

I. **Q**uid commisisti dulcissime puer, ut sic judicareris? Quid commisisti amantissime juvenis, ut sic tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ livor passionis, tui cruciatus labor. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. O mirabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterii dispositio! peccat iniquus, & punitur justus: delinquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat servus, exsolvit dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quo nate Dei, quo tua descendit humilitas? quo tua desagravit charitas? quo processit pietas? quo excrevit benignitas? quo tuus attigit amor? quo pervenit compassio? Ego enim inique egi, tu pœna mulctaris: ego facinus admisi, tu ultione plecteris: ego crimen edidi, tu torturæ subjiceris:  
ego



ego superbivi, tu humiliaris: ego tumui, tu attenuaris: ego inobediens extiti, tu obediens Patri scelus inobedientiae luis: ego gulae parui, tu inedia efficeris: me ad illicitum rapuit concupiscentia ardorem, te perfecta charitas ducit ad crucem. Ego praesumpti vetitum, tu subiisti eculeum; ego delector cibo, tu laboras in patibulo: ego fruor deliciis, tu laniaris clavis. Ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem. Mihi reo ridens congaudet Eva, tibi pie plorans compatitur Maria. Ecce Rex gloriose, ecce impietas mea, & claret pietas tua: in mea injustitia, & tua liquet justitia.

2. Quid Deus meus, & Rex meus? Quid retribuam tibi pro omnibus quae tribuisti mihi? Non enim inveniri potest in corde hominis, quod condigne talibus referatur praemiis. Nunquid potest sagacitas machinari humana, cui comparetur miseratio divina? Nec est creaturae, moliri officium, quo juste creatoris recompenset praesidium. Est autem nate Dei, in hac tua admirabili dispositione, cui mea fragilitas in aliquo suppeditet, si tua visitatione compuncta mens carnem suam crucifigat cum vitiis & concupiscentiis. Et si hoc à te conceditur, quasi jam tibi incipit compati vel vivere, quia & tu pro peccatoribus dignatus es mori: sicque per interiorem victoriam hac duce armabitur ad exteriorem palmam: qua devicta persecutione spiritali, non vereatur pro amore tuo subjici gladio materiali. Ita exiguitas conditionis, si tua complacat pietati, magnitudini valebit pro  
viri-



viribus respondere conditoris. Et hoc cœlestis medicinæ, bone Iesu, hoc tui antidotum amoris.

3. Oro te per antiquas misericordias tuas, infunde visceribus meis, ut rejecta vipereæ cogitationis labe, reintegret me incolumitati pristinæ: quo gustato nectare tuæ suavitatis, faciat me illecebrosa mundi prospera, toto affectu despiciere, & nulla ejus adversa pro te formidare; memorque perpetuæ nobilitatis semper fastidiam ventos hujus transitorii timoris. Nihil quæso sine te mihi dulcescat, nihil complaceat, nihil pretiosum, nihil præter te arrideat speciosum. Vilescant obsecro abs te mihi omnia, sordescant universa. Quod tibi adversum est, mihi molestum sit; & beneplacitum tuum sit mihi indeficiens desiderium; tædeat me gaudere sine te, & delectet me tristari pro te. Sit mihi nomen tuum refocillatio, & memoria tua mea consolatio. Fiant mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, tuas investigando justificationes. Sit bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti. Sit obedire mihi amabile, resistere execrabile. Rogo te, spes mea, per omnes pietates tuas, ut propitieris omnibus iniquitatibus meis. Adaperi aures meas mandatis tuis; & ne declines, flagito per nomen sanctum tuum, in verba malitiæ cor meum, ad excusandas excusationes in peccatis. Peto etiam per admirabilem humilitatem tuam, non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me.



## CAPVT VIII.

*Qualiter sese creatura renovata patri caelesti  
in sacrificium totam offerat, eique ad  
seruiendum cupiat consecratam.*

I. **E**Cce omnipotens Deus pater, Domine mi, dispone benignus, quo mihi misereris: quomodo quidquid pretiosius inveni, devote tibi obtuli: quidquid carius reperi, suppliciter praesentavi. Mihi nihil reliqui, quin tuae exposuerim majestati: nihil jam superest quod adjiciam, quia totam tibi delegavi spem meam. Direxi tibi advocatum meum, tuum dilectum filium; nisi gloriosam progeniem inter me & te mediatorem. Misi inquam intercessorem, per quem confido veniam. Misi verbis, quia pro meis dixi missum factis. Enumeravi sanctissimae tibi sobolis mortem, quam pro me fuisse credo perpeffam. Credo à te missam Deitatem, nostram suscepisse humanitatem: in qua dignum duxit, vincula, alapas, sputa, irrisionesque perferre, nec non crucem clavoque suscipere. Hanc olim infantiae vagitibus demolitam, pueritiae pannis astrictam, sudoribus vexatam, jejuniis maceratam, vigiliis afflictam, itineribus fessam, post affectam flagris, laceratam suppliciis, deputatam cum mortuis, ditatam vero gloria resurrectionis, caelorum gaudiis induxit, & in dextera tuae celsitudinis collocavit. Tu placatio mea, & propitiatio mea. Hic intende pius, quem genueris filium, & quem redemeris servum. Hic aspice factorem, & ne despi-



despicias facturam. Amplectere serius pasto-  
rem, & recipe misericors allatam propriis  
humeris ovem.

2. Hic ipse est fidelissimus pastor ille, qui  
dudum errabundam ovem per abrupta mon-  
tium, præcipitia vallium, multis variisque  
quæsierat laboribus. Qui jam morienti, jam  
per longa exilia deficienti, tandem inventa  
gaudens, se supponit, & miro sibi adnifu  
charitatis innixam, de confusionis abyfso le-  
vavit; piisque constrictam complexibus, ad  
nonaginta novem, unam quæ perierat de-  
portavit ovem. Ecce Domine mi, Rex om-  
nipotens Deus, ecce pastor bonus refert tibi  
ovem, quam commifisti ei. Suscepit te di-  
sponente ad salvandum hominem, quem ti-  
bi restituit omni labe immunem. Ecce tibi  
tuum charissimus plasma filius reconciliat,  
quod à te procul deviaverat. En gregi tuo  
mitis pastor, reformat, quod prædo violen-  
tus abegerat. Reddis tuis conspectibus ser-  
vum, quem sua propria fecerat conscientia  
fugitivum; ut qui per se pœnam meruit, per  
factorem mundi mereatur veniam: quique  
pro culpis suis sperabat gehennam, tanto  
duce jam confidat revocari ad patriam. Po-  
tui per me te, sancte Pater, offendere,  
sed non potui per me te mihi placare. Fa-  
ctus est adjutor meus tuus dilectus filius,  
meam participans humanitatem, ut cura-  
ret infirmitatem; quatenus unde culpam  
emiserat offensionis, inde tibi immolaret  
sacrificium laudis, meque per hoc tuæ  
redderet pietati placabilem: quo sedens

S

ad



ad dexteram tuam, semper me substantiæ ostenderet esse consortem. Ecce spes mea, ecce tota fiducia.

3. Si me pro mea, ut dignum est, despicias iniquitate, respice saltem misertus in me pro dilectæ sobolis charitate: in filio attende, quid propitius in seruo. Vide carnis sacramentum & carnis remitte reatum. Recole, quod bonus perpeffus est filius; & obliuiscere, quod malus operatus est seruus. Quoties beatæ prolis tibi saucia patent vulnera, delitescant obsecro vulnera mea. Quoties rubet pretiosus sanguis pio de latere, deleantur supplicio tabes meæ pollutionis. Et quia te caro laceffivit ad iram, caro te inflectat, precor, ad misericordiam: ut sicut caro seduxit ad culpam, caro deducat ad veniam. Multum quidem est, quod mea meretur impietas; longe autem majus est, quod Redemptoris mei possit pietas: Magna enim est mea iniustitia, multo vero major est Redemptoris mei iustitia. Quanto enim superior est Deus homine, tanto mea malitia est inferior bonitate ejus, ut qualitate, ita etiam quantitate. Quid enim delinquere posset homo, quod non Dei filius redimeret, factus homo? Quæ tantum superbia tumeret, quam non tanta humilitas sterneret? Quidnam esset mortis imperium, quod nati Dei non destrueret crucis supplicium? Nimirum Deus meus, si æqua lance iniquitas peccantis hominis, & redimentis gratia librentur auctoritas: non tantum oriens distat ab occidente, seu inferior separatur infernus à summo cali  
car-



ardine: quantum pietas redemptoris superat malitiam peccatoris.

4. Iam lucis optime creator, jam culpis ignosce meis, pro dilecti filii tui laboribus immensis. Iam quæso, ejus pietati mea impietas, ejus modestiæ mea perversitas, & mansuetudini donetur ferocitas. Iam sua humilitas meam superbiam; patientia ejus meam impatientiam, benignitas duritiam; obedientia inobedientiam; tranquillitas inquietudinem; dulcedo amaritudinem; suavitas iram, charitas lucrifaciat crudelem oblationem. Iam divini amor numinis Patris omnipotentis, prolisque beatissimæ sancta communicatio, paraclete sancte Spiritus, mœrentium clementissima consolatio, Spiritus alme, jam cordis mei penetralibus potens illabere virtute: & tenebrosa quæque neglecta lucis latibula, luminis corusci fulgore, pius inhabitator lætifica; tuique roris abundantia, longe ariditatis marcescentia squalore, visitando fœcunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris jaculo; & tepentis jecoris medullas flammis salutaribus penetrando succende; sanctique fervoris igne illustrando, mentis & corporis universa depasce: pota tuæ voluptatis torrente, ut jam nihil mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis. Iudica me, & discerne de gente non sancta causam meam. Doce me, quia Deus meus es tu, facere voluntatem tuam.

5. Credo ergo quemcunque inhabitaveris, in eo Patris ac pariter Filii domicilium condis. Beatus, qui te merebitur hospitem



habere : quoniam per te Pater & Filius apud eum facient mansionem. Veni jam, veni benignissime dolentis animæ consolator, in opportunitatibus & tribulationibus adjutor. Veni mundator sceleris, curator vulneris; veni fortitudo fragilium, relevator labentium. Veni doctor humilium, destructor superbiorum. Veni orphanorum pius pater, consolator miserorum, viduarum dulcis iudex. Veni spes pauperum, refocillator deficientium. Veni sydus navigantium, portus naufragantium. Veni, ô omnium viventium decus singulare, morientium unica salus. Veni sanctissime Spiritus, veni, & miserere mei. Aptam me tibi, & condescende propitius mihi : ut mea tuæ magnitudini exiguitas, tuoque robori mea imbecillitas, secundum tuarum multitudinem complaceat miserationum. Per Iesum, &c.





## ORATIONES.

1. **M**iserere Domine famulis & famula-  
bus tuis N. & dirige actus eorum  
quotidie in bonum, & omnia peccata eo-  
rum dimitte. Et dimitte in cor eorum talem  
intellectum, ut ex toto corde tibi fideliter  
serviant, & tibi placeant, & omni tempore  
in tuo sancto servitio permaneant. Per Do-  
minum nostrum.

2. Famulos & famulas tuas, quæsumus  
Domine, fratres & sorores meas, omnes-  
que debitores meos, corpore pariter & men-  
te purifica, ut in tua inspiratione compuncti,  
noxias delectationes vitare prævaleant. Per  
Dominum nostrum Iesum Christum.

3. Dignus est mercenarius vel operarius  
mercede sua: orationibus tuis credit, & op-  
tat juvari, & sarcina peccatorum à te suble-  
vari. Per Dominum nostrum.

*Finis Meditationum B. Anselmi.*